

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae IX.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

EPISTOLAE IX.
ARGUMENTVM.

Gloriatur aedilem se designatum, Hirrum repulsum: de republica nihil actum significat: pantheras petit: Feridium commendat: addit de Pompeii ac Scipionis in Caesarem animo: disertum in sua defensione Calidium, in accusatione frigidum appellat. Tota, praeter Feridii commendationem, quae ab officio proficiscitur, negotialis est epistola.

EXPLANATIO.

Hirrum tractasti] Iocosum et familiare principium, de Hirri repulsa in aedilitate curuli.

Quam facile] Cum superauerim.

Quam ne contentionis quidem minimae fuerit] Hirrum deiicere, ne minimae quidem contentionis fuit.

Tuum competitorum] In auguratu. epist. 3.

Risus facit] Risus mouet: quia ciuem bonum ludit, et agitea, quae ante repulsam non agebat: quasi aliam ex repulsam mentem sumpserit.

Ludit] Quasi ludendo repraesentat: nam, si bonus vere ciuis esset, iam antea significationem aliquam dedisset. itaque non agit serio, sed ludit.

Contra Caesarem] Vt bene sentire videatur, nam optimatibus, id est, vniuerso fere senatui, inuius erat Caesar, quod extraordinaria semper appetiisset imperia.

Sententias dicit] Vt ei quamprimum succedatur: nec expectandum censet.

Curripit] Reprehendit. eodem verbo vsus est epist. 2.

Curionem] Cur obiurgat Hirrus, contra Caesarem sententias dicens, bene de republica sentien-

tem Curionem, et hoc quidem tempore Caesaris inimicum? fortasse, quia Coelium Curio summe diligeret.

Obiurgat ERN. Obiurgatus] Pro obiurgauit: vt, iuratus, pro iurauit; et rebellatos, pro rebellauisse, dixit Valerius Max. lib. 9. c. 10. Interdum tamen orta mihi de mendo suspicio est: quod fortasse scripserit Coelius: *obiurgat, scilicet hac repulsa se mutauit. et, scilicet, vnica scriptum littera S, occasionem dederit loci deprauandi. omnes tamen libri veteres in, obiurgatus, consentiunt. itaque potest antiquum esse et ideo Coelianum.*

In foro] Cuius in ea parte, quae comitium vocabatur, iudicia fiebant.

Causas ERN. Causam] Pro causis.

Liberales ERN. Liberalis] Quia facilis est in recipiendis causis.

Raro post meridiem] Et ante meridiem, et post, causae agebantur. lib. 2. ad Q. Fr. epist. 16. *Ego eodem die, post meridiem, Vatinium aderam defensurus.* Hirri autem patrocinio ita pauci utebantur, vt raro post meridiem causas ageret.

Scripta-

Scripteram] Epist. 4.

Interpellat] Impedit, ob affinitatem: nam erat Octaviae maritus, quae neptis fuit Iuliae, Caesaris fororis. initio etiam civilis belli, cum prouinciarum sortitio fieret, priuato consilio praeteritus est, quasi propensior esset ad Caesaris causam. Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 6.

Designati] De quo scripsit epist. 4. Sigonii liber habet, *designatio*.

In Kal.] Septembris. quo tamen die factum non est senatus consultum, sed pridie Kal. Oct. vt indicat epistola proxima.

Ne frequentiam quidem] Tantum abest, vt Kal. Sept. consules de prouinciis ad senatum retulerint, vt ne frequentem quidem senatum cogere potuerint. infrequenti autem senatu fieri senatus consultum non licebat: qua de re diximus lib. 1. epist. 9.

Ne profligatum quidem] Plus est, quam *coeptum*: minus, quam *confectum*. cognoscitur exemplis. nam lib. 12. epist. 30. *profligato*, inquit, bello, ac paene sublato, renouatum bellum gerere conamur. Et Tusc. 5. c. 6. *Profligata iam haec, et paene ad exitum adducta quaestio est*. In oratione autem de prouinciis c. 14. *Si in Capitolium inuehi victor cum illa insigni laurea gestiret: — vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo profligata sunt, confici velle*. Est igitur *profligatum*, quod in eadem oratione c. 12. *affectum* Cicero vocauit. *Ipse Caesar*, inquit, *quid est, cur in prouincia commorari velit, nisi vt ea, quae per eum affecta sunt, perfecta reipublicae tradantur?*

Causa] Hoc verbum et a Sigonii libro, et ab aliis nonnullis abest.

Integra] Falsum. Nam pridie Kal. Oct. factum est senatus consultum de prouinciis consularibus: nisi si, *integra*, vere dictum ideo putemus, quia nihil in eo senatus consulto de successione prouinciarum decretum est, sed in annum sequentem actio illa translata.

Relinquendus] Reliquit C. Coelium quaestorem. lib. 2. epist. 15. et lib. 6. ad Attic. epist. 6.

Intercessorem] Intercedetur enim ab aliquo tribuno plebis, cum de successione consularium prouinciarum, quarum vna erunt Galliae, senatus consultum fiet.

In eandem conditionem] Vt, quemadmodum in ceteras prouincias, sic in Gallias successor mittatur.

Vocantur] A Pompeianis, quorum factio in senatu dominabatur.

Patiscum] Hominem venandi peritum. lib. 2. epist. 11.

Curioni] Quas populo ostenderet funebribus ludis, quos patri mortuo reuersus e prouincia dedit, Caluino et Messalla coss.

Multis partibus plures] Multo plures. vide lib. 1. epist. 2.

Et alias Africanas] Nam Graecas miserat Patiscus: vt ex epist. 9. intelligitur. Varro lib. 3. de re rust. *Non minus formosum spectaculum, quam in circo maximo aedilium, non sine bestiis Africanis cum sunt venationes*. Daturus erat Coelius aedilis curulis ludos Romanos in circo: alioqui pantheris Africanis non eguisset. docet enim Plinius lib. 8. c. 17. vetus fuisse senatus consultum, ne liceret Africanas in

Italiam

Italiam aduehere: contra tulisse ad populum Cn. Aufidium tribunum plebis, permisisseque circensium gratia importare.

Praedia rustica] *Praedium* generale nomen est rerum possessarum vel in vrbe, vel extra. ideo distinguuntur, cum dicimus, *praedia urbana, praedia rustica*. Coelius hic urbanis rustica, tamquam fructuosiora, videtur anteferre. quae sunt haec, arua, vineta, prata, oliueta, siluae. nemora enim, etsi a siluis differunt, e siluis tamen et pratis constant. itaque partim caeduntur, vt siluae; partim armentis, vt prata, pabulum praebent. *urbana* vero *praedia* sunt domus, areae, horti, et quidquid omnino soli, aut in solo aedificatum, intra pomerium possidetur.

Cibyratas] Apud quos pantherae capiebantur, epist. 4.

Seorsum] Nam, si coniunctim ludi darentur, minor vtriusque sumptus. C. Caesar et M. Bibulus, aediles curules, communi sumptu ludos dederant: alii separatim. Dio lib. 39.

A collega] Qui non nominatur: sed M. Octauium puto: cum et Hirrus repulsam tulerit; et Coelium Vicinianum promulgatio de dictatore deiecerit. alios praeterea competitors, quod quidem ex his epistolis cognosci liceat, non habuit.

Omnia] Quae ad ludos pertinent.

Impera tibi] *Imperare sibi* dicitur is, qui, quod libenter non agit, agere tamen constituit: vt epist. 12. *Cum homo avarus, vt ea solueret, sibi imperare non posset*. Et lib. 11. ad Attic. epist. 24. *Quod me mones*

de vultu et oratione ad tempus accommodanda; etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quidquam interesse putarem. Et Terentius in Eun. Act. 2. Sc. 2. v. 21.

— *Imperavi egomet mihi, Omnia assentari*. —

Maiorem partem] Pro, ex maiore parte: vt lib. 9. epist. 15. *Intellexi idem, quod his intelligo litteris, non existimasse te, mihi licere, id quod ego arbitrabar, res has non omnino quidem, sed magnam partem relinquere*. Et alibi saepius. Et Caesar lib. 4. de bell. Gall. c. 1. *Maximam partem lacte atque pecore viuunt*. Et Lucretius lib. 3. v. 63.

— *Haec vulnera vitae Non minimam partem mortis formidine aluntur*.

Ad Sittianam syngrapham] Vt e syngrapha Sittiana pecuniam istic exigant.

Vllam ERN. Nullam spem] Alii, *vllam spem*. quod videtur apertius, hoc modo: puto etiam, si vllam de pantheris mihi spem ostendes, me isto missurum alios. Sigonii tamen liber habet, *nullam*. quod ita defendi potest: puto, licet nullam adhuc de pantheris mihi spem ostenderis, me isto missurum alios.

M. Feridium] Commendatitiae litterae, pro negotiorum varietate, varias quoque partes, easque modo plures, modo pauciores habent. sed vitata, et quasi legitima, cum aliquid aut aliquem commendamus, tria sunt; commendationis causa, rei narratio, memoris animi et gratiae voluntatis vel ab eo, qui commendatur, vel a nobis etiam ipsis promissio. Commendationis causa

caussa hic est illa: *amici mei filium, bonum et strenuum adolescentem: rei narratio: agros, quos fructuarios habent ciuitates, vult tuo beneficio immunes esse: memoris animi promissio: gratos et bonos viros tibi obligaris.*

Equitem Romanum] Non omnes equites dicebantur equites Romani, sed ii tantum, qui equo publico merchant, in centurias descripti: quod duae in Antonium orationes, 6. c. 5. et 7. c. 6. declarant. qui enim equo priuato militabant, equites quidem erant, sed nec equites Romani, nec equestris ordinis vocabantur. societates autem publicanorum, quae multae erant, quia multorum locorum vectigalia separatim locabantur, ex equitibus Romanis constabant. et erat equestris ordo senatoribus dignitate proximus, anulo aureo et equo publico a plebe distinctus. quocirca deduxit Cicero commendandi causam ab honestate, cum Feridium equitem Romanum appellauit.

Bonum et strenuum] Quae bonitati laus debetur, ea sit maior, cum ad bonitatem accedit industria. recte igitur, *bonum et strenuum*, coniuncta sunt. est autem strenuus, promptus et industrius in agendo.

Agros, quos fructuarios habent ciuitates] Ita legitur in duobus vetustis libris, Io. Scalae, et in libro Petri Bembi, etiam in vno Caroli Sigonii. itaque nihil muto, cum sit aperta sententia, *Quos fructuarios habent ciuitates: qui ciuitatibus annum vectigal pendunt.*

Facile] Cum imperium habeas. *Honestum*] Fortasse, quia vectigal magnum non est. alioqui, cur

honestum sit, imminuere vectigalia ciuitatum, non intelligo.

Gratos et bonos viros] Patrem, et filium.

Fauonium] Ciuem optimum, M. Catonis imitatore, qui, C. Trebonio tribuno plebis legem ferente de Syria Crasso, vtraque autem Hispania Pompeio in quinquennium mandandis, acerrime cum Catone resisterat. Dio lib. 39. Aedilis fuit Caluino et Messalla coss. vt Plutarchus in Catone significat. itaque hic annus, quo scripta est epistola, ad petendam praetoriam, quae, biennio interposito, aedilitatem sequebatur, ei legitimus est. petiit autem, et obtinuit. propterea Velleius lib. 2. c. 53. Pompeio, post Pharsalicam pugnam fugienti, comites ait fuisse duos Lentulos consulares, et Fauonium praetorium. Eodem pertinent, quae sequuntur, *a columnariis praeteritum*. nam, *praeteriri*, est repulsam ferre: vt in orat. pro Plancio c. 3. Nunc tantum disputo de iure populi: qui et potest et solet nonnumquam dignos praeterire: nec, si a populo praeteritus est, quem non oportuit, a iudicibus condemnandus est, qui praeteritus non est. Et Tusc. 5. c. 19. Cum sapiens et bonus vir suffragiis praeteritur, non populus a bono consule potius, quam ille a malo populo repulsam fert. Quod si quis dixerit, incertum esse, vtrum hoc anno, an sequenti praetor Fauonius creatus sit; quia, cum Velleius eum praetorium appellauit, praetorem quidem fuisse ostenderit, praeturae tamen annum in dubio reliquerit. ita respondebimus, transiit in Graeciam Pompeio magistratus eos,

qui

qui bene de republica sentire viderentur, comites fuisse: quos cum nominari videamus lib. 9. ad Attic. epist. 6. consules duos, et tribunos plebis, nulla cuiusquam praetoris mentione facta, satis constat, Favonium, quo anno Pompeius Italiam reliquit, id est, Lentulo et Marcello cons. praetorem non fuisse: ex quo sequitur, fuisse anno superiore, Paullo et Marcello cons. ideoque designatum Sulpicio et Marcello, quibus consulatum gerentibus Coelius haec scripsit. Favonium hunc usque ad triumviratum Octavianus, Antonii, Lepidi vitam perduxisse, ostendit Suetonius his verbis in Augusto c. 13. *Ceteri, et in his M. Favonius, ille Catonis aemulus, cum catenati producerentur, imperatore Antonio honorifice salutato, hunc foedissimo convicio coram prosciderunt.* Eiusdem in eo libertas agnoscitur, quod a Valerio scriptum est lib. 6. c. 2. *Nam Pompeio, candida fascia cruris alligatum habenti, Non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema: exigui panni cauillatione, regias eius vires exprobrans.*

A columnariis] Non est praetertitus a columnariis, sed a viris bonis: quorum numerus minor est. *Columnarios* dici puto viles et improbos homines, qui ad columnam Maeniam in iudicium saepe vocarentur. Vide Pedianum in Diuin. c. 16. et orat. pro Cluentio c. 30. Nam qui, *colonariis*, contra veteres omnes libros legendum existimant, eorum iam explosa sententia est.

Non fecit] Praetorem.

Aperte] Dicitur.

Consulem esse] Subaudiendum *velle.* in epistola proxima, quae tamen post hanc scripta est: *Quid si, inquit alius, et consul esse, et exercitum habere velit?*

Tamen] Tamen in sententia, quam dixit, non omnino infensus (Caesari visus est.

Sententiam dixit] In senatu extra urbem habito: nam in urbe Pompeio, qui erat cum imperio, esse non licebat: quod et Caesar scripsit lib. 1. de bell. civ. c. 6.

Nullum hoc tempore senatus consultum faciendum] Opinor hoc esse, quod queritur Cicero lib. 8. ad Attic. epist. 3. Pompeium M. Marcello consuli finienti provincias Gallias Kal. Mart. restitisse.

Scipio] Pompeii focer, nominatus in ieratus consulto Q. Caecilius Metellus Pius Scipio, quod a Metello Pio esset adoptatus. epistola proxima.

Gallius] Nominatim: quod iniquum erat: itaque pridie Kal. Oct. de provinciis consularibus, non de Galliis nominatim, senatus consultum factum est. epist. 8. De hac autem sententia Scipionis audierat Cicero, cum ad Atticum lib. 5. epist. 20. ita scripsit: *Est totum, quod Kalendis Mart. futurum est.*

Balbus Corneli] Gaditanum, Caesaris amantissimum, pro quo extra Ciceronis oratio

Cum Scipione] Gentiles enim erant.

Calidius] Eloquentia clarus, de quo epist. 4

Defensione] Cum accusaretur a Gallis duobus. epist. 4.

Accusatione] Cum accusaret Q. Gallium, Cicerone defendente: ut est in libro de clar. orat. c. 80.

Oo

EPISTO.